This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

28.
954.

600003897X

DE BELLO
INTER
EVANGELICOS ET CATHOLICOS
NUPER EXORTO,
EIUSQUE NATURA
ET
COMPONENDI RATIONE

ORATIO IRENICA
IN CONSESSU
QUORUNDAM UTRIUSQUE ECCLESIAE
DOCTORUM HABITA,
ET AD
FERDINANDUM AUGUST. COM. SPIEGEL,
ARCHIEPISCOPUM COLON. S. V.
MISSA
A
MAXIMILIANO FRIDERICO SCHEIBLERO,
PASTORE AP. MONTISIOVIENSES EVANG.

Εἰ δυνατὸν, τὸ ἐξ ὑμῶν, μετὰ πάντων ἀνθρώπων εἰρηνεύοντες.
Rom. XII, 18.

EDITIO ALTERA RECOGNITA.
PRAEMISSA EST PRAEFATIO APOLOGETICA.

LIPSIAE,
APUD C. H. F. HARTMANNUM
CIↃIↃCCCXXVIII.

954

VIRO ILLUSTRISSIMO

FERDINANDO AUGUSTO

COMITI SPIEGEL IN DESENBERG
ET CANSTEIN

SACRAE REGIAE MAIESTATIS CONSILIARIO ACTUALI INTIMO
SUPREMO REGNI SENATUI ADSCRIPTO ET ORDINIS AQUI-
LAE RUBRAE PRIMAE CLASSIS EQUITI

ARCHIEPISCOPO COLONIENSI

SUMME VENERANDO

HANC

QUALEMCUNQUE ORATIONEM

EA QUA PAR EST

OBSERVANTIA

D. D. D.

AUCTOR.

COMES ILLUSTRISSIME,

ARCHIEPISCOPE S. VENERANDE,

Quod optandum quidem semper maximopere esset, sed non ita saepe solet accidere, ut, quos procul et quasi per transennam, sed cum magna quadam exspectatione conspicati eramus, eos ipsos, cum propius accesserunt, et attentius a nobis ac diutius considerantur, et penitus excutiuntur, in omnesque veluti partes versantur, tales omnino reperiamus, quales primo oculorum obtutu visi nobis fuerant, praeclaramque, quam de iis conceperamus, opinionem non modo non mutare et corrigere cogamur, sed multo etiam praeclarius de eis existimare, eosque amare adeo et admirari possimus: id in *Te*, *Vir* non uno nomine *Illustris ac Venerande*, nobis contigisse, et laetor quam maxime,

et sine ulla adulatione, a qua longissime absum, cuiusque nulla est caussa, palam possum praedicare. Etenim priusquam huc advenisses, *Sedemque Tuam Archiepiscopalem* in Coloniae Agrippinae, urbis satis celebris, luce collocasses, non ea solum fama *Te* praecessit, ut multa cum *Tuis*, tum nobis etiam grata et accepta a *Te* sperare possemus, id quod vel per *Regem*, qui *Te* diligit, provinciamque amplam et splendidam *Tibi* demandavit, non aliter nobis licebat; sed, posteaquam pluribus dioecesis *Tuae* regionibus a *Te* peragratis et perlustratis permulti de facie *Te* noverunt, familiaritatemque quasi quandam *Tecum* contraxerunt, spem etiam illam nostram non modo confirmatam, sed vietam quoque esse intelligimus, magnamque ex eo voluptatem percipimus. Legimus nonnulla prudenter ac liberaliter a *Te* scripta, cognovimus plura praeclare et utiliter ab *Te* imperata et instituta; audivimus, bene *Te* erga Evangelicos esse affectum, non minuere eos, nihil *Te* eis incommodi et molestiae afferre, domum *Tuam* nostrae etiam ecclesiae Ministris patere, fratres in Christo et pastores eos a *Te*

compellari, humanissime et amice hospitio excipi; eam denique, quod multo maximum est, in *Te* perspeximus morum integritatem, eam animi probitatem et simplicitatem, ut nobile illud *tonderis et fidei Westphalicae* nomen, nunc, ut alia permulta, quibus olim et peregrinorum morum contagio nondum infecti clarebamus, sensim deletum renovare, et in episcopatum, quorum Paullus Apostolus imaginem adumbrat, numerum non immerito referri posse videaris.

Quarum omnium rerum fama cum ad nos, in angulum quasi quendam terrae abstrusum reiectos et montibus altis undique circumseptos, penetrasset, et ad aures quoque meas pervenisset, multaque praeterea, quae commemorare modestia *Tua* vetat, mihi essent narrata: in hanc spem sum inductus, fore, ut me quoque, de multis unum aliquem, aliique coetui et ordini, non admodum ab omnibus, olim certe, amato adscriptum ad *Te* admitteres, et, si tanquam annum ineuntem *Tibi* gratulaturus munusculum, etsi crasso filo, scriptiunculae nempe aliquid de communibus nostris rebus

atque *ad gaudia Domini*, *seruis bonis et fidelibus parata*, evehat. Vale interea, *Vir Aestumatissime et Humanissime*, mihique et ecclesiae meae aeque ac *Tuae* sociis porro fave.

Illustrissimo Nomini Tuo

Montisiovii, pridie Idus Ianuarias,
CIↃIↃCCCXXVII.

addictissimus
Scheiblerus.

PRAEFATIO
EDITIONIS SECUNDAE.

Divenditis citius, quam putaram, paucis illis, quae typis exscripta fuerant, libelli huius exemplis cum alia subinde flagitarentur; de nova eius editione cogitandum fuit, in qua adornanda nec praeter paucula vitia operarum et verba minus commoda mutandum quidquam et retractandum, nec, excepta nota una brevi, calumniae effugiendae caussa textui subiecta, iis, quae dicta erant, lectorum quorundam stomacho nimium iam multis et concoctu difficilibus, finique proposito consequendo, ut opinor, idoneis, novi aliquid addendum, aut ea, quae strictim attigeram, uberius explicanda existimavi, praesertim quum nullas fere, quae admonere me possent, virorum doctorum, qui in recensendis libris modo editis versantur, sen-

tentias de scriptiuncula mea latas legere adhuc mihi contigisset. Unum illud, de quo multi, aliorum ingenium e suo metientes, multum dubitare visi sunt, quodque ad faciliorem ad eos, qui adversaria castra sequuntur, aditum mihi patefaciendum, maioremque apud alioquin incuriosos forte et incredulos attentionem ac fidem verbis meis conciliandam pertinet, silentio praetermittere non potui: *Virum* nempe *illum Venerandum*, cui dedicatus et oblatus erat libellus, non nobilitate solum generis et honorum splendore, sed ingenii etiam, doctrinae, prudentiae, maiorisque, quam quae in aliis permultis eiusdem religionis et ordinis consortibus reperiatur, aequitatis erga nos et facilitatis laude insignem, perquam benevole atque adeo grate eum accepisse, tantumque abfuisse, ut quidquam eorum, quae non contra universam ecclesiam, in qua locum amplissimum obtinet, nullo modo mihi contemtam et invisam, sed potius contra eos, quos *Ipse* aversatur et suos non agnoscit, quamvis gravia, nec admodum laeta et honorifica, attamen, ut nemo nescit, vera et in facto posita, non monere non potueram, indigne ferret, ac vel verbulo notaret, ut omnibus omnino, quae praesertim de belli Evangelicos inter atque Catholicos exorti origine et

caussis, eiusque restinguendi, aut saltem minuendi et humanius ac lenius gerendi ratione et via exposueram, plane assentiri, et album, ut aiunt, calculum adiicere videretur; id quod litterae Eius officiosissime ad me rescriptae *) luculentissime testatae sunt, sermoque, quem non ita multo post sacrorum quorundam gratia in oppidulo nostro aliquantisper commorans, et templum quoque nostrum ab aliis reformi-

*) Gestit sane animus, hasce litteras latine eleganterque scriptas, et episcopo, qualem Paullus Apostolus in ep. ad Timoth. priore informat, doctore *sobriae mentis, in cedendo facili et a rixandi libidine alieno*, dignas, voluptatemque inde a me perceptam cum aliis etiam quam plurimis communicare. At enim non licet et illiberale est, quae quis familiariter ad nos perscripsit, nisi diserte ipso permittente, in vulgus edere; et mens *Archiepiscopi Coloniensis* ex litteris, quas munus suum auspicaturus per dioecesin circummisit, satis iam omnibus cogneta est atque perspecta, vereque talis, de qua Clerici omnes et Laici potestati *Ejus* subjecti mitioris animi et orationis moderatae exemplum possint capere, et, si verum est, quod vulgo dicitur: *qualis rex, talis grex*, accedentibus insuper crebris *Eius* monitis institutisque prudentibus ac liberalibus, decursu temporis paullatim, ut sperare licet, magis magisque capient, quod ipsis erit honori, *Archiepiscopo* probatum, nobis, qui amari, quam odio haberi malumus, gratum et acceptum. Quid fieri cogitarique posset laudabilius, quid gloriosius, quid memoriae potius prodendum, quam si dioecesis nostra, duce *Archiepiscopo* suo, primo pacificationis, quam omnibus suasi, praeiret exemplo!

datum lubenter invisens, blandissime mecum conferebat, abunde confirmavit. Sic enim liberalissimi cuiusque et apertissimi est ingenium, ut, quamcunque rem veram esse intellexerit et indubitatam, etiamsi minus forte certam et indubiam esse velit, veritatis tamen vi et amore ductus, ea de re quid sentiat, libere ac vel incommodo aliquo suo et invidia palam profiteri haud gravetur, nec ulla ullius rei aut personae ratione habita veram totamque animi sententiam penitus tegat, aut paullo timidius et cunctanter pronuntiet. Vox semper et ubique est sapientis ac viri fortis: *amicus Socrates, amicus Plato*, amica, quam sequor, secta, *sed magis amica veritas.*

Quid porro *Rex Borussorum*, religionis, ut inter omnes constat, veritatis et concordiae amantissimus, idemque omnibus Pater omnes, quibus imperat, aequabiliter complectens, et erga Catholicos etiam, quod vel ingratissimi diffiteri nequeunt, multis modis indulgentissimus ac munificentissimus; quid virtutum *Eius* pariter atque regni *Heres* futurus, humanissimus Princeps, et vel ob rationes domesticas in aliter de rebus ad religionem pertinentibus sentientes minime acerbus et iniquus; quid *Bata-*

eorum Rex, eodem animo affectus, et quamquam *Suae*, ut par est, ecclesiae intime et constanter adhaerens, eamque ab omni fraude et molestia strenue vindicans, erga alias tamen sectas, quae permultae et variae sunt in Hollandia, in primisque catholicam, totam fere Belgiam occupantem, id quod, ut alia omittam, pactum conventum nuper cum *Pontifice Romano* factum, et ab hoc ipso laudatum, satis declaravit, facilem, mitem ac benignum *Se* praebens; quid *Is Purpuratorum Eius* et *Consiliariorum*, quem artibus liberalibus et bonarum litterarum studiis in ditione *Sua* regundis ornandisque praefecit, Vir omni humanitatis genere excultus et expolitus; quid alii denique, qui de talibus rebus iudicare possunt, quosque nominare nihil est necesse, vel epistolis humanissime ad me datis, vel factis et institutis, de opusculo meo statuerint, iam non attinet pluribus commemorare, tum, quia horum locupletissimorum quidem et gravissimorum, sed domesticorum et evangelicorum testium apud eos, qui alienae religionis formulae sunt addicti, et nonnisi a suis profecta admirantur et admittunt, minus fortasse, quam deberet, valet auctoritas, tum, ne quis forte vanae ostentationis, a qua profecto mediocritatis ac tenuita-

tis meae ipse mihi probe conscius longissime absum, suspectum me habeat, atque in invidiam adducat. Veruntamen hoc non dissimulo, sed, quandoquidem hoc loco et tempore necesse est confiteri, ingenue ac libenter confiteor, haec ipsa, quae commemoravi, *Augustorum illorum* ceterorumque virorum intelligentium, maxime vero *Reverendi illius* modo laudati, quem penes potissimum in hac causa volo esse iudicium, omnesque sine dubio eiusdem cum *Eo* disciplinae sectatores esse volent, *Archiepiscopi* dico *catholici* et a partium studio alieni, nostrae certe non magis, quam suae ipsius, quod reprehendi nequit, ecclesiae faventis, eamque pro muneris sui lege et officio non prodentis ac deserentis, quemque in calliditatis eruditae, temporibus inservientis, aut timiditatis circumspectae, nescio cuius, suspicionem, quae in homines simplices et candidos, longeque supra alios et dignitate et opibus eminentes minime cadit, vocare velle, absurdissimum sane, et insignis in eum, quem fortassis non propius nosti, sed ex ingenio ac moribus tuis tibi fingis, foret iniuria; haec ipsa igitur fateor *Gravissimi Huius* aliorumque de lucubratione mea iudicia non mediocriter me confirmasse, eoque plus mihi attulisse solatii, quo acrius et

vehementius alii, in primisque homo quidam obscurus, quamquam inter suos forte sat celebris et spectatus, cuius nomen ac dignitatem neque ex litteris eius non subscriptis, impudentiaeque suae ac rusticitatis quasi sibi consciis, cognoscere licuit, nec aliunde, quippe nihil responsurus, sciscitari et divinare libuit, orationem meam non rationibus argumentisque allatis, quod ferri utique aequo animo potest ac debet, confutavit, sed *me perfrictae frontis haereticum hominemque talpa caeciorem, libellumque meum infamem et insanum et ad certamen singulare provocantem*,*) quo elogio eum

*) Aliis compluribus scatent istae hominis lucifugi litterae, urbani scilicet sermonis exemplar perfectissimum, non minus acerbis et iniuriosis, quae vero omnia, atque adeo dirum illud, quod senectutis parum reverens capiti meo insultat, et *canos meos* (nondum tamen niveos et admodum raros) his enim verbis utitur, *inspectantibus circumquaque montibus et arietum instar exsultantibus, ad inferos* (tartara forte *Lutheri*, an sepulcrum?) nihil mei misertus detrudit, huic conviciatorum facile coryphaeo acerrimoque Haereticorum insectatori facile condono, et, quoad ipse volet (nam e tenebris suis, unde, tanquam ex insidiis, tela sua venenata et stercora eo impunius in me putavit posse coniicere, in lucem se proditurum, *admonitionemque suam*, quam vocat, *irenicam*, quamque, etsi iunioris vocem, repudiare me vetat, *paucis mutatis mutandis, typis divulgaturum esse* minatus est, quibus

ornat, dente mordaci et maledico prescidit, quoque in maiorem et laetiorem testimoniis illis

---

minis bonus ille magnum mihi forte terrorem incutere speravit,) lubenter reticebo, ut famae scriptoris personati, sed aliis forte cogniti et probati, parcam, meliusque, quam ipse sibi consuluit, ei consulam, et ne conviciis et imprecationibus eius magis commotus videar, quam commoveri et pungi debeam. Talia enim me non tangunt et angunt, nec, nisi argumentis idoneis disertisque Scripturae sacrae testimoniis erroris convincar, victum me arbitrabor. Et certe, credite mihi, abstinuissem omnino a tota hac in campum parum amoenum digressione ac veluti excursione, litterasque istas invectivas et inhumanas tacitus plane reliquissem et mecum risissem, ni opus mihi fuisset, insigni aliquo exemplo, quamquam et alia non desunt, ostendere, quibus vulgo armis adversarii nostri pugnare soleant, verissimaque esse et minime calumniosa, quae de quorundam (nam et saniores sunt) convitiandi et anathematizandi pruritu in libro meo conquestus sum; nisi, ut experientia iam saepius docuit, semper tacendo, connivendo et ignaviter concedendo audacior plerumque et effrenatior fieret audacia, et vel viros modestissimos invaderet, et plus in dies sibi arrogaret ac licitum esse putaret; ni denique verendum mihi esset, ne huiuscemodi obtrectationibus et diffamationibus, quas auctores cupidi, ut adsolet, non solum cum familiaribus suis communicant, verum etiam ubique spargunt ac studiosissime in omnes promiscue pervulgant, plures etiam a libro meo abalienentur, consiliaque mea vere salubria et ad pacem spectantia ad irritum cadant, cui quidem rei, quae, quum ictibus auras verberare et frustra scripsisse nollem, grata mihi esse non pot-

contrariis et multiplici adsensus significatione, tanquam omine aliquo fausto, spem sum ad-

---

est, hac via, quoniam alia non patet, occurrendum putavi.

Ceterum non miror, ab adversa parte me ac libellum meum peti, et posthac etiam forte iri petitum, quum ne meis quidem omnibus satisfacere potuerim. Non defuerunt enim, qui, licet minus oratione ipsa, tamen aeque atque Anonymus ille, qui ipse Catholicus et Clericus *Archiepiscopo* suo laudes meritas omnium minime invidere debebat, dedicatione operi praefixa offenderentur, et adulatoriam eam esse mihi exprobrarent, quasi vero non possis esse laudator, nisi sis adulator, aut non liceat suum cuique tribuere, et quaecunque in iis etiam, quorum de religione sententia cum tua discrepat, ac vel inimicis acerrimis bona et praeclara observaveris, ea magni aestimare et in lucem proferre. Itaque, qui media via incedebam, et iustitiae leges observabam, hinc atque illinc carpor, et in offensionem incurro. At enim vero neminem, opinor, qui me novit, latere potest, non esse ingenii mei et consuetudinis, cuiquam, quisquis ille est, adulari et auram eius captare; et qui cum *Archiepiscopo* est versatus, animadverterit necesse est, hunc *Virum* gravem non esse eum, qui blandis verbis et vanis laudationibus capiatur. Ad me quod attinet, vere veneror *Virum Venerandum*, quem propius nosse mihi contigit, nec ab ea, quam semel de *Eo* concepi et significavi, opinione, quamdiu ipse sibi constat (semper autem, non dubito, constabit,) abstrahi me unquam patiar; et *Ille*, cui satis profecto est sagacitatis et aciei ingenii ad sincera et vera a fucatis et simulatis internoscenda, ea, quae et per litteras et coram cum ipso locutus eram, ex animo profecta esse sensit,

ductus, fore, ut aliis etiam compluribus, nec nostro solum, verum alieno quoque coetui adscriptis, quinimo Clericis cuiuscunque ordinis ac loci, consilium et opera mea probetur, et *pax* inter partes iam nunc belligerantes, multis illa de caussis optanda et salutaris, atque non pax modo externa utcunque conglutinata et comparata, sed vera etiam animorum reconciliatio, mutuaque, quae Christianos, quamvis ceterum dissidentes, decet, fraterna caritas, hoc scripto meo, nequaquam *ironico*, ut pessimus ille facetiarum existimator et artifex, qui nimis jam saepe Consessum nostrum pacificatorium

---

ideoque boni consuluit. Valeant igitur suspicaces isti et invidi obtrectatores, quibus acclamandum est illud Innocentissimi dictum: *quid tam prava in animo vestro cogitatis?*

Sed satis de hoc. Peto abs te, lector aeque et benevole, ut ignoscere mihi velis, si forte talibus commemorandis auribus tuis molestus fui. Non potui non hanc quoque labem, quam inscitia et malevolentia quorundam hominum mihi et quodammodo etiam *Archiepiscopo* adspergere conata est, eluere, tamque gravem et indignam assentationis, ab altero tentatae, ab altero probatae, suspicionem paucis removere. Quod si vero minus forte mihi contingat, et aliquis de me et instituto meo perperam iudicare perrexerit; faciat, ut lubet, mens recti conscia facile se consolabitur. Peritiores et aequiores aliter iudicarunt, et porro iudicabunt.

interpellavit, et ipsum et dedicationem interpretatur, sed vere *irenico*, et, sicut ex animo placido et pacis amante profecto, sic animos placante et ad benevolentiam conciliante, non modo, ut alii metuunt, alii simulant et criminantur, non impediatur ac retardetur, sed, uti equidem arbitror, ac propositum mihi fuit, multum etiam adiuvetur atque ad exitum optatum eo citius perducatur; dummodo, quas tuli, pacis conditiones ac leges, aequissimae sane, atque ad id, quod volui, accommodatae, quales *ipse ille*, cujus arbitrio saepius utendum est, *Antistes* catholicae ecclesiae S. *Reverendus*, idemque vir perspicacissimus ac multarum rerum experientia et usu praeditus, eas esse censuit, et cuivis, qui, quod verum et rectum est, sequi vult, nec coeco animi impetu fertur, et odio suo inveterato indulget, observatu facillimae, ab utraque parte, praesertim ab adversariis nostris, libenter accipiantur, ac studiose religioseque in perpetuum teneantur.

Quae si me spes, quam, quicquid nonnulli dixerint, et quae nunc quidem est rerum facies portendere forte videatur, non uno signo permotus nondum prorsus abiicio, haud fefellerit,

litesque, quae his ipsis temporibus alias sic satis pacatis inter nos, unius eiusdemque reipublicae sacrae in terris cives, eiusdemque, ut ego equidem spero, regni coelestis aliquando incolas, denuo quodam quasi fato commotae, et e somno veluti, quo per aliquod tempus sopitae videbantur, repente excitatae sunt, diremtae fuerint et amice compositae: vehementer ea de re, qua secundum *unionem*, quam vocant, *evangelicam*, et duarum ecclesiarum, propinqua cognatione se contingentium, sed eheu! iniuria temporum nimis iam diu divisarum, in unam iterum consociationem, necdum proh dolor! quod nobis profecto nec laudi est, nec utile, ubique locorum inchoatam, multo minus per multorum obstinatam pervicaciam, ne dicam, avaritiam et illiberalitatem, aliasve cupiditates inhonestas et opiniones leves, omnibus suis numeris ac partibus perfectam et absolutam, nihil facile in civitate christiana statuque eius externo (utinam et in conditione eius interna et morali recte haberent omnia?) ante obitum meum videre potero gratius et exoptatius, nae ego ea de re maximopere laetabor, et utrique familiae, quae Christo, communi nostro Capiti ac Domino, subest, ean-

demque propter et per eum salutem aeternam exspectat, catholicae primum, deinde vero etiam evangelicae, una cum omnibus, qui paci et concordiae student, congratulabor; meque certe arma, iam de manibus deposita, nec, nisi inuite, et, quoniam tempus et officium ita ferebat ac postulabat, aliquamdiu a me capessita, et profecto non, ut quidam me insimulabant, hostiliter et infenso animo tractata, nunquam resumturum, sed omnibus ac singulis, qui non ficte, sed sincere in gratiam nobiscum redire, nosque in posterum nec clam, nec aperte, nec dictis, nec factis, nec calumniando et maledicendo, nec proselytis quacunque ratione et arte in castra sua pelliciendis, aut undique cogendis et pertrahendis lacessere, ac detrimentum nobis inferre voluerint, his, inquam, omnibus, qui ita fuerint morati, istorum omnium, quae vel maiores eorum, vel etiam ipsi in nos, quae in *Lutherum* nostrum, quae in opus eius saluberrimum, totamque nostram ecclesiam, nimium iam diu agitatam atque vexatam, quantumvis multa et atrocia commiserint, non amplius memorem me non modo condonaturum praeterita, sed dextram quoque, perinde ac sociis et amicis, ultro atque ex animo porre-

cturum esse promitto ac spondeo. Ratum enim mihi est illud Apostoli, quod in fronte huius libri inscripsi: *Si fieri potest, quantum quidem in vobis est, pacem cum omnibus colite.* Scr. Montisiovii prope Aquisgranum, pridie Nonas Nov. A. C. CIↃIↃCCCXXVII.

Profligatum tandem aliquando est, *Collegae Carissimi*; id quod patria nostra et tota fere Europa, omnesque gentes et nationes, magis magisque in dies afflictae et vexatae votis ardentissimis dudum expetiverant, sed novis identidem cladibus acceptis saepius prope desperarant, profligatum est, et felicissimo Borussicorum aliorumque armorum successu penitus confectum bellum illud calamitosissimum ac funestissimum, quod Regibus pro thronis suis et provinciis aut tuendis aut recuperandis, populisque a tyrannide, qua oppressi tenebantur, liberandis suscipiendum fuit, et complures per annos omni virium contentione et ancipiti fortuna gerendum, de quo singulari Dei munere et beneficio nobis invicem merito congratulamur, eoque ut quam diutissime perfruamur, et vitam, ut Paullus monet Apostolus, *agamus quietam et tranquillam, omni pietatis et decoris laude conspicuam*, vehementer etiam atque etiam exoptamus. Sed quemadmodum ex quovis fere bello, atroci praesertim et diuturno, reliquiae saepenumero aliquae remanent, non uno ictu et momento conficiendae, et ex vix compo-

sito aliud nonnunquam atque aerius adeo nascitur; aut sicut aestus maris turbine agitati non continuo sedatur, et tranquillitas insequitur, aliique interdum venti et fluctus suboriuntur: sic orbis terrarum armorum strepitu et tempestatibus civilibus diu commotus et perturbatus, animique hominum, semper aliquid molientium, semel concitati tranquillari subito non potuerunt, et alius generis procellae et turbae exstiterunt. Exarsit eheu! ut scitis, exstincta vix illa bellorum externorum et incendiorum domesticorum flamma media in republica sacra, patrum nostrorum memoria saepius turbata, et scriptis polemicis aliisque iniuriosorum hominum factis exagitata, iam vero per annos aliquot paene pacata, exarsit, inquam, aliud quoddam bellum, non quidem cruentum illud, sed non minus civili isto luctuosum; congressae denuo sunt partes illae duae potiores, in quas civitas christiana longo ex tempore est divisa; *Catholici*, quos vocant, et *Evangelici*, qui inducias fecerant, et in gratiam redire velle videbantur, arma recipere deposita, in aciem progredi, se provocare invicem ad pugnam, scriptis aliisque modis lacessere. Quod quidem bellum, latius subinde serpens, magisque, ut solet, in dies inflammatum quibus quasi scintillulis ac ventis conflatum sit, qua materie alitum, quis fax eius et tuba fuerit, qui duces et antesignani, quibus strategematibus sit gestum, quibus utrinque armis et copiis pugnatum, quos casus habuerit et eventus, quae belligerantium pars clades plurimas acceperit, quae plurimas palmas reportarit, maximosque

triumphos egerit, iam non attinet dicere, neque instituto meo et consilio valde foret consentaneum, et postea, quantum satis et opus est, de quibusdam earum rerum dicetur. Unum hoc opinari et certo affirmare licet, inter vos, qui adestis, cuicunque quisque parti faveat, et quomodo in ceteris dissentiat, reperiri neminem, quin hanc reipublicae vicem doleat, atque, ut non pax solum utcunque fiat, et clamores calamorumque mucrones conquiescant, sed, quod multo est maius et optabilius, animi etiam alienati et exacerbati reconcilientur et in gratiam redeant, in votis habeat. Quem enim fugit, quodvis bellum noxium esse et exitiosum, nec ita geri facile posse, quin is quoque, qui superior discedit, plagam aliquam accipiat? Quis non intelligit, quo acriores sint contentiones de rebus, quae ad religionem pertinent, eo maiorem quasi pulverem excitari, et solem obscurari; eo densioribus veritatis lucem, quae nonnisi menti attentae et perturbationibus vacuae apparet, nebulis obrui; eo longius animos et studia hominum a vero religionis scopo, qui totus est in vitae et morum emendatione positus, abduci; eo minus caveri posse, ne sensus et cogitationes animum subeant, et voces excidant, quae mutuo illi amori, quem religio christiana instillat, repugnent, eumque, si non expellant omnino, tamen minuant? Cui denique in mentem non venit pacificatorii illius Paullini praecepti: *Operam date, fratres, ut animorum consensus vestro concordiae studio conservetur; unum enim constituitis corpus, unum accepistis spiri-*

tum, una eademque spes proposita vobis est, uni subestis Domino, uni religionis formulae adscripti, uno sacro fonte initiati estis, unum denique colitis Deum, eundemque omnium Patrem, qui omnibus superior omnibus prospicit, omnibusque vobis adest, et bona quaecunque benignissime tribuit? Quae quidem omnia qui animo recte perpendit, existimarique vult, ita se cogitare et sentire, ut hominem sapientem et vere christianum decet, profecto is non poterit non optare vehementer, ut pax illa et fraterna paene caritas, quae inter Evangelicos et Catholicos esse coeperat, iniquitate temporum et hominum quorundam turbulentorum importunitate et temeritate exturbata et exterminata, in civitatem christianam quam primum redeat, in eaque reducenda, et omni ratione ac modo retinenda pro virili parte elaborare. Quo consilio et fine quamquam a multis iam utriusque sectae multa excogitata et in medium prolata esse scio et gratus agnosco: tamen cum quaedam in eis deprehendere mihi visus essem non satis explanata, alia imperiosa et minus liberalia, nonnulla etiam prorsus aliena aut factu saltem perquam difficilia, hanc mihi quoque veniam datum iri putavi, ut symbolam aliquam meam afferrem, quaeque ea de re in mentem mihi venerant, paucis exponerem. Quapropter missis iis, quos iurgia et rixae iuvant, quique eis quasi pascuntur, *Vos*, in hoc mihi veluti senatu et consilio adesse volui, quos rerum earum, quae in republica nostra geruntur, non ignaros, quos attentos ac dociles, quos aequos et peris-

ros iudices, quos a partium studio alienos, quos miles et facile placabiles, quos veritatis et pacis studiosos, dextramque, quam vobis porrigo, haud detrectaturos, quos, ut uno verbo omnia complectar, tales, quales vero et caussa postulat, esse cognoveram. Laetor sane, *Patres suavissimi*, maximasque vobis ago gratias, quod frequentes adesse voluistis, meque de caussa communi verba breviter facientem ut attente ac benevole audiatis, et ingenii mei tenuitatem et imbecillitatem sapientia vestra et aequitate sublevetis, maiorem in modum a vobis peto. Deinceps ibimus in consilium, conferemus inter nos de pacis conditionibus eiusque conficiendae ratione, excutiemus omnia et in omnes partes versabimus, aperte, modeste, comiter dicemus, quid sentiamus, placide et attente alter alterum audiet, a vero forte aberrantem leniter et urbane corriget, quae minus arrident, seponemus, alia afferemus; tum denique sententiae perrogabuntur, fiet senatus consultum, auctoritates subscribentur, pax pronunciabitur; alios quoque, qui iam non adsunt, quam plurimos poterimus, ad subscribendum invitabimus, omnes vicos, pagos, urbes, regiones denique omnes, quae nobis patent, pacificabimus. Sic foedus, spero, ferietur illo, quod reges saepe faciunt, paullo sanctius et salutarius, paxque semel stabilita et firmata nunquam labefactabitur, iique, qui in castris et statione remanere voluerint, ut vigiles conclamatae salutis deserentur et soli relinquentur. Sed antequam in hanc orationem et locum amoenissimum, quo sane ani-

mus festinat, ingrediar, permittite, quaeso, *Fratres*, ut per aspera paullisper vos ducam, et paucula quaedam, minus forte grata, sed non aliena, ut equidem opinor, ac pernecessaria, et de me ipso, et de *belli*, cuius finem quaerimus, *natura*, tanquam viae muniendae caussa, praemittam. Per aspera tamen ad astra tandem veniemus.

Ad *me* quidem quod attinet, mirabimini fortasse, *Fratres*, et partim adeo indignabimini, me, quem quidam in hoc bello, etsi non in ducum et antesignanorum, in gregariorum tamen et quasi velitum numero habent, mediis e castris et sago prope indutum in haec rostra irenica provolasse, et unum aliquem ex hostibus et acerrimis pacis turbatoribus de pace verba facere audere. Sic igitur de me habetote. Confiteor ingenue, nec ulla ratione dissimulo, quod negari dissimularique non potest: Fui, fui, inquam, aliquamdiu in acie adversa; steti, non contra vos quidem, quos nullos adversus nos stantes videbam, sed contra eos, quos ipsi in vestrorum numero non ducitis; *) feci, si gloriari licet, cum

*) Observabunt vel me tacito lectores, idque ab omnibus probe attendi velim, ne, quae olim mihi facta est, eadem iterum mihi inferatur iniuria, duplicem me hic et ubique *Catholicorum*, quos vocant, veluti censum habere: *alterum* eorum, qui infenso in Evangelicos sunt animo, eumque et verbis et factis satis declarant, et, quantum ipsis licet, prae se ferunt: *alterum* minorem eorum, qui melius erga nos sunt affecti et clementius nobiscum agunt, et neque in coelis, neque in terris locum nobis invident; quem qui-

Tuschinero, *Krugio*, aliisque claris velut imperatoribus fortissimisque possessionis nostrae communis propugnatoribus et defensoribus; scripsi, ut videatis, nihil me celare, nihil tegere, scripsi pro ingenio meo exiguo quaedam de Proselytos faciendi cupidine ac modo, non admodum pervulgata et forsan vobis nondum cognita,

---

dem in censum *Archiepiscopum Coloniensem*, cuius hanc ipsam potissimum ob caussam nomen clarissimum huic libro praescripsi; simillimum eius collegam *Hommerum*, *Episcopum Trevirensem*; *Wessenbergium Constantiensem*, in utraque fortuna satis spectatum; *Leandrum Essium*, interpretem et commendatorem Scripturae sacrae diligentissimum; *Doreserum*, Professorem Vratislaviensem, qui hoc anno diem supremum obiit; *Vicarium generalem Bruchsalensem*, nunquam *Reinhardi* nostri contra odoratores quosdam haereseon male sagaces defensorem, aliosque in aliis regionibus minus claros, quorum numerus sensim in dies augetur, odium erga nos minuitur, referre nullus dubito. Cum *istis* tantum, *Romanis* malim dicere, quam catholicis, quibus utique resistendum est, neutiquam vero cum *his*, quamvis aliis in rebus a nobis dissidentibus, mihi hic et alibi est controversia, tantumque abest, ut vel minimam cum eis simultatem geram, ut vere eos diligam et fratrum loco habeam. Opinionum enim et caerimoniarum diversitas ac dissimilitudo tollere non debet consensum animi et benevolentiae caritatem, certissimumque profecto pusilli et angusti animi semper est argumentum, odisse eos et infestare, quicum non in omnibus consentias, et coelo excludere, quos non eiusdem tecum templi parietes concludunt. Hac confessione hoc ultimo loco repetita aequissimus quisque, spero, erit contentus. Qui minus; is porro me iudicet et condemnet, quam acriter potest ac lubet; missum facio, abeat, quocunque voluerit, et collyrium petat. Nota ad edit. H.

quae vero vir quidam doctus minime ad bellum ciendum, sed ad pacem conciliandam spectare censuit. Sed non feci, nisi lacessitus, acriter quidem, sed non acerbe et aspere; non diutius feci, quam necesse fuit; feci, quia ecclesia mihi carissima, quam antistites et doctores eius destituere non debent, vexabatur, quia periculum ei imminebat, quia pro aris et focis dimicandum erat, quod omittere aut lente agere, hominis sane esset ignavi, sua negligentis et officium suum turpissime deserentis. Iam vero ex acie et proelio discedo, non quo facti poeniteat, non, quo timeam et in fugam sim coniectus, aut vulnere aliquo letali afflictus conciderim, sed quoniam non lubenter et animi caussa pugno, multique interea extiterе viri fortes et exercitati, qui caussam nostram, quamdiu eis videbitur et necesse erit, satis defendent. Verissime insuper hoc possum adfirmare et iure meo contendere, illo ipso me tempore, quo hostiliter agere quibusdam videbar, hostilem animum non gessisse, ita plane, ut semper fui, erga fidei vestrae consortes, quibuscum vivo, fuisse affectum, a nemine, qui non ipse me repellebat, me avertisse, laesisse neminem, nemini, etiam oculo forte iniquo et torvo me adspectanti, aut alio quocunque modo infestanti, par pari retulisse, cuivis, qui ope mea indigebat, liberalem me exhibuisse et beneficum, omnia omnibus praestitisse humanitatis officia, pacem cum Parochis vestris semper coluisse, consuetudinem cum iis, qui ipsi non fugiebant, non defugisse, ut paucis dicam, medio in bello perinde me esse versa-

tum, ac si in pace viverem, ut omnes mihi testabuntur, qui me norunt et verum fateri volent. Non eo hoc dico, quod de me ipse praedico (nam quid laudis est, non odisse alios?) sed ut iudicare possitis, non inepte me agere, nec tam indignum, quam multi forte putant, me esse, qui pacem suadeam, dummodo ea proferam, quae auribus vestris non indigna esse videantur.

De bello autem, de quo deinceps dicendum erat, eiusque *natura et indole*, in hac semper opinione fui, et etiam nunc sum: quamquam optandum non erat, eoque, si omnes voluissent, facile supersederi potuisset, *necessarium* tamen illud fuisse, et *quodammodo utile ac salutare*. *Necessario* et coacte in hanc arenam nos descendisse, Vosmet ipsos, peritos arbitros et aequos, non ignorare, vel plane infitiari velle aut posse arbitror. Sunt quidem, qui sui excusandi caussa nos, tumultuosi et rixosi illius *Lutheri* commilitones et satellites, incusent, qui putent aut potius simulent, se plane esse insontes et nive candidiores, nos nigros istos esse, nos classicum cecinisse et arma intulisse, a nobis, a nobis solis bellum et mala omnia esse profecta. Non est ita, *Auditores*, profecto non est. Non ultro bellum intulimus, sed illatum excepimus; non oppugnavimus, sed oppugnati repugnavimus; non impetum primi fecimus, sed factum sustinuimus et vim vi repulimus. Recurrite, quaeso, *Fratres*, recurrite in tempora certamen illud proxime antegressa; repetite diligenter memoriam veterem; inspicite, quam attente et acriter potestis, in vi-

tam et mores nostros, et revocate in mentem, quomodo erga vos nos gesserimus. Num ulla in re vos offendimus? Num iura et commoda vestra minuimus, aut non potius amplificavimus? Num ullam vobis molestiam exhibuimus? Num quidquam commisimus, quod irritare vos et odio in nos inflammare potuisset, quod non potius vos reconciliare nobis, et gratiam atque amicitiam vestram nobis parere debuisset? Ostendite nobis aliquid tale, et culpam in nos omnem recipiemus. An forte, (nemo enim, si sanus est, obiciet nobis festuca illud sacrorum emendatorum saeculare, quod vobis nocere nec debuit, nec potuit, et aliquanto ante bello iam flagrabat ecclesia,) quod non omnia perpessi sumus, quod restitimus, quod nos et nostra defendimus? At enim vero quis se non defendit, si iniuste petitur, et, quando aliunde auxilium praesto non est, moderamine, quod iuris consulti concedunt, inculpatae tutelae non utitur? Quis possessiones, libertatem, famam non tuetur, si quis ea eripere conatur? Quid? ne sentire quidem et suspicere debuimus, cum ex latibulis quibusdam, velut insidiis, cuiusque generis tela, spicula, maledictorum et conviciorum stercora in nos coniicerentur, quae nominare multa possem *Raessiana*, *Weissiana*, *Preuhitiana*, *Wageneriana* et aliorum sexcenta, nisi lubenter ab iis abstinerem, ne irritare quempiam et laedere velle videar? Quid? non licuisset nobis, arcere cupidos istos et abigere, qui suis opibus et copiis non contenti in nostras irruebant, ovilia perfringebant, agnos surripiebant,

oves et adultos in castra sua pelliciebant aut pertrahebant? Quid? nos indigne feramus, non commoveamur quam maxime, non caveamus nobis et omni cura et cogitatione saluti nostrae prospiciamus, si in invidiam adducimur, nomen nostrum tanquam infame et seditiosum ad Principes defertur, plebs levis et credula in nos incitatur, et pericula nobis undique creantur? Accusandi profecto ut proditores perfidi et nefarii, et a vobis ipsis merito irridendi et contemnendi, nomineque, quod a viris illis animosis ac generosis, qui in comitiis Spirensibus postulationibus iniquissimis et legi contra se et suos latae fortiter intercedebant, hereditate quasi accepimus, hoc igitur nomine honorificentissimo et de officio nostro graviter nos admonente, quo adhuc insignimur et insigniri semper volumus, prorsus fuissemus indigni: si tacuissemus, si omnia susque deque habuissemus, si religionem nostram, si Reformationem, rem omnium saluberrimam, si auctores eius optime de nobis promeritos, inprimisque *Lutherum* nostrum, virum omni honore prosequendum, si totam denique nostram ecclesiam, quae curae nostrae se commisit, cuiusque spes omnis in nobis, tutoribus suis, est posita, derelinquere et proteruo cuivis diripiendam, lacerandam, et conviciis proscindendam obiicere voluissemus. *Mercenariorum*, ut Christus ait, ipse pastor optimus et suorum tutor diligentissimus, mercenarigrum est, conspecto lupo fugam capessere; *pastoris boni et fidelis*, resistere et vel cum vitae suae periculo cavere, ne quid detrimenti grex fidei et curae suae

creditus capiat. Liberrime haec omnia apud vos professus sum, *Fratres*, nec molli, ut aiunt, sed gravi brachio attigi, quia sic mihi persuasum habeo, vos a consiliis et conatibus, de quibus questus sum, longissime abhorrere, et ne verbulo quidem hanc rem, vobis sine dubio molestam, mihi non iucundam, commemorassem fortasse, nisi ad caussam, quam ago, pertineret, et nisi vosmet ipsos, si eo, quo nos eramus, loco fuissetis, idem, quod nos non facere non potuimus, haud cunctanter facturos fuisse, certo scirem. Sed ad alia progrediamur.

Utile quodammodo dixi *et salutare* fuisse certamen illud a nobis initum, nec argumentis forte et signis, quibus hoc demonstretur, omnino destituar. Si bella suscipiuntur de rebus ad rempublicam pertinentibus; vires et opes sunt metiendae, copiae comparandae, delectus habendi, urbes et castella munienda, dilapsa reficienda, nova excitanda, vigilandum est, providendum, audendum, laborandum, quae quidem omnia quam sint ad salutem exercitus, totiusque saepe populi utilia, et in posterum etiam prodesse possint, nemo non talium rerum peritus facile nobis exposuerit. Similiter bellum de rebus nostris sacris coeptum et ad hunc usque diem gestum et *Vobis* et *nobis* commodi aliquid non sane contemnendi attulisse videtur. *Vobis* (eos semper dico, quibus admonitione opus erat, et etiam nunc forte est,) vobis igitur hoc, ut disceretis, armis illis obtusis et aeruginosis, quae maiores vestri usurpare consueverant, non

amplius esse locum, aliis iam iisque acutioribus et magis politis esse utendum; quaestiones de haereticis et iudicia capitis iam ne in Hispania quidem dari; roges non exstrui, ignes et flammas esse exstinctas, refutationes et argumenta idonea, doctrinae quoque copiam et stili elegantiam requiri; multa in religione et sacris esse retractanda, et vel permutanda melioribus, vel magis limanda et expolienda; non deesse et inter vos, qui non ita sint hebetes et creduli, ut omnia, quae vos oblectant, eorum sint ad palatum, omnibusque, quae de nobis, de reformatione, de religione et ecclesia nostra eis insusurrantur, fidem habeant; caussam nostram non tam esse desperatam, ut defendi nullo modo possit, nosque non adeo esse inertes et imparatos, aut a Principibus non evangelicis modo, sed etiam catholicis adeo derelictos et despectos, quam opinati forte fueratis. *Nobis* imprimis illud, ut ii de nobis, qui obdormiverant, e somno suo et lethargia excitarentur, ut ingenia tarda et obtusa acuerentur, ut negligentes et ingrati bona sua nossent, ut incuriosi et dissoluti prudentius se gererent, et ab iis, quae dedecori ipsis et probro apud vos esse possent, magis abstinerent, ut memoria antiquitatis et virorum de ecclesia nostra optime meritorum paene obliterata recoleretur, ut monumenta instauratorum sacrorum aliique libri utilissimi iam dudum non lecti revolverentur, ut, quod in maximis merito et exoptatissimis bonis numeramus, Scriptura sacra, ex qua arma acutissima et decretoria depromimus, in compluribus nostro-

rum domibus in angulum abiecta, et situ ac squalore obsita, repeteretur, legeretur et in dignitatem pristinam restitueretur, et quae sunt eius generis alia permulta, quae iam necesse non est commemorare. Quamobrem multi etiam e nostratibus, iique viri otii litterati amantes et pacis diligentissimi certamen illud sibi oblatum non defugerunt, et arma, quamquam inviti et necessitate coacti, fortiter ac strenue capessiverunt, multaque scitu perutilia et scite scripta in medium protulerunt.

Verum enim vero tametsi facile largiar, bellum, quod saepius nominandum est, non omni fructu et commodo carere, nec casibus funestis et exitiosis omni ex parte esse annumerandum: id tamen quoque non infitior, sed lubens concedo et vere doleo, multum etiam incommodi et mali in rem publicam christianam inde redundasse, et eo plus in dies esse redundaturum, quo magis in longum extrahitur, praesertim si porro ea ratione, iis armis et instrumentis, iis artibus, ea animi et orationis acrimonia, ea calumniandi, criminandi, convitiandi libidine et licentia confligitur, qua multi pro tua ingenii et animi indole, quam eis non invidemus, confligere coeperunt. Finiatur ergo bellum satis diu continuatum; deponantur arma cum iusta, tum infusta, tum ultro, tum invite sumta; sanentur vulnera animi subinde recrudescentia; cessent irae et odia et iurgia e Pandorae tanquam pyxide effusa; redeat amor, redeat quies et alma pax in rem publicam christianam nimis diu perturbatam. Accipite (ad hanc enim orationem animus du-

dum properat,) accipite, *Fratres amantissimi*, pacis et concordiae non minus, quam ego, studiosi, quibus rebus hoc opus, arduum quidem et multis difficultatibus implicatum, sed voluntatem tamen et vires non superans optime perfici, saltem inchoari, quaeque maxime illud impediunt, amoveri posse videantur. Leviora illa quidem sunt, nec speciosa et splendida, sed ad id tamen, quod volumus, ut opinor, adposita, et quasi praeparatoria quaedam conditionesque praeviae, sine quibus pacem firmam et diuturnam fieri nullam posse existimo.

Ac primum quidem hoc summopere cavendum esse mihi videtur, *ne in origines belli*, de quo dico, *eiusque auctorem nimis diligenter inquiramus, eaque de re inter nos disceptemus.* Quamquam enim magnum est, ut poëta ait, *belli cognoscere caussas*, et medici etiam prudentes ac periti in sanandis corporum morbis eo se felicius versari et medelam saepe praesentem sibi ostendi recte opinantur, quo penitius caussam et sedem mali exploratam et perspectam habeant: huius tamen animorum quasi morbi, quo laboramus, paullo alia est ratio. Haud scio, an in iurgiis et controversiis componendis quidquam minus plerumque prosit, quam nimis curiosa fontium, e quibus emanarint, omnibus vestigiis indagatio, saltem patefactio et mutua exprobratio. Constat enim, quacunque demum de re homines inter se litigarint, si rimantur omnia, si de eo, qui primus provocarit et ansam contentionis dederit, diligentius quae-

runt, et, ut pueri rixantes, si praeceptor intervenerit, alter in alterum culpam confert, tum novam saepe litem gigni, actionem pacis cito abrumpi, eosque, qui ad praeciscendum et in gratiam redeundum convenerant, re infecta et magis etiam exasperatos discedere, idque eo fieri facilius, quo maioris momenti res est, de qua contenderant, quoque plus damni ex ea enatum fuerat. Nam ita plerique morati sunt, ut, quantumvis culpae suae sibi sint conscii, id tamen nolint confiteri, sed speciem innocentiae prae se ferre velint. Idem nobis in caussa nostra et controversia sat gravi sine dubio accidet, si inepte istis curiosis et simulatoribus crimus similes; recrudescent vulnera cicatrice vix obducta; exulcerabuntur animi, bellum redintegrabitur. Liceat ergo tibi et in hoc bello caussas cognoscere et latibula huius quasi ferae investigare, id quod a me ipso supra, cum aliud agerem et legem pacis nondum ferrem, obiter fieri meministis, et, si mens tibi conscia recti fuerit, ea de re laetari; sed, si pacem vis, noli aperire, quid deprehenderis, cave te iactes, et de innocentia tua, de tua prudentia, de mansuetis tuis moribus, de tua longa dissentientes patientia et facilitate multum glorieris, intimo velut pectore omnia contineas, in sinu gaudens. Quodsi secus feceris, si tu, Romane, Evangelicum, tu, Evangelice, Romanum accusas; si tu eum primum, ante rimum, solum aggressorem esse vis; si modo hoc, modo illud improbe dictum factumve vobis invicem exprobratis: nae vereor, ne ad rixas et pugnas denuo veniat, et

sapientissima pacis consilia irrita sint futura. Prudentius faciamus, *Fratres*; satis sit, exstare bellum et nocuisse; de origine et auctore non magnopere disquiramus, saltem non disputemus et disceptemus; non omnem culpam transferamus in alios; memores illius: *errare et peccare humanum est*, aliquam eius particulam in nos recipiamus, aut, quod satius est, totam hanc rem ne attingamus quidem, relinquamus in medio, et sapientiae illi omnia dirimenti: *adhuc sub iudice lis est*, subscribamus. Quo facto culpa nostra non maior erit, quam revera est, et omnes, qui neutri favent parti, eam agnoscent; sed magna novae altercationis et exulcerationis ansa praecidetur, et negotium, quod suscepimus, eo citius conficietur et ad finem perducetur.

Sin autem hac cautione et moderatione prudenti adhibita res nostrae non convenerint, si porro belligerandum, disputandum, scribendum fuerit, hoc saltem, non equidem a vobis, qui ipsi et sponte vestra hanc vobis legem praescribitis, sed ab omnibus et singulis, qui litigare voluerint, quosque admonere forte opus est, iure peto ac postulo, *ut ab execrationibus, a diris, a calumniis et convitiis, sive voce, sive scriptis, sive ex suggestu et in concione, sive in sermone consuetudinis quotidianae fiant, prorsus in posterum abstineant*, aut, si genio suo indulgere voluerint, id latine faciant, et in hac saltem Latii elegantioris regione se versatos esse ostendant, ne populus audiat et conviciari ab eis discat.

Nota sunt anathemata ista horribilia, quibus omnes, quotquot sint, qui non plane credunt, quod ipsi credimus, salutis aeternae spe olim intercludebantur, et in infima quasi tartara detrudebantur, quas sententias damnatorias et Rhadamantheas etiam nunc hic illic non raro audire licet. Notae sunt subdolae istae et fictae criminationes, quibus li, qui nobiscum non faciunt, in suspicionem adducuntur, in ius quasi vocantur, ad tribunalia Principum rapiuntur, et ad comedendum et puniendum propinantur. Nota denique sunt, ut plura omittam, soldamnia ista schismaticorum, haereticorum, infidelium nomina, et sexcentae aliae voces invidiosae et contumeliosae, quibus tot circuli et confabulationes hominum percrepant, tot acta litteraria aliique libelli scatent, tot templa, conciones et orationes scilicet sacrae resonant, quas in hunc locum et consessum honestissimum proferre pudet. Non commemorabo iam, quantopere ista omnia omni vi probandi et persuadendi careant et vel optimam caussam suspectam reddant. Non in mentem revocabo, quales simus, quamque indigna ista sint viris doctis et omni litterarum genere et copia excultis et instructis, quorum est, docere, demonstrare, argumentis uti firmis, perspicuis et ad persuadendum accommodatis; non de tripode dicere, et quae credenda sint, necne, imperare, non damnare eos, qui aliter sentiunt, non sophisticis artibus et captiunculis circumvenire, non clamoribus et dicteriis obtundere et concidere. Non monebo denique, quantum abhorreant ista ab urbanitate hominis vitae

communis non ignari et moribus commodis limati, quam iucunde, facete, salse loqui decet, minime vero ut unus aliquis de plebe, minime rustice, scurriliter, aspere et contumeliose. Unum hoc dicam, quod huc pertinet, nihil magis displicere et offendere, nihil magis exacerbare animos et rixas parere, nihil paci et concordiae, quam reducere in ecclesiam volumus, magis officere et viam intercludere, quam acerbitatem et inhumanitatem impostorum et importunorum istorum, qui, sive loquantur de iis, qui haereticorum eis nomine veniunt, sive scribant de iis, sive in ephemeridibus suis de scriptis eorum sententiam ferant, bilem atram et quidquid in buccam venit, eructant, nec os suum foedum et immane aperire unquam possunt, quin damnationum, probrorum et maledictorum spuma et illuvies ex eo, tanquam ex gurgite vasto profluat. Militibus improbis et malitiosis sunt similes, qui, ut hosti noceant, tela in eum iaculantur venenata, aut pueris petulantibus, qui praetereuntes coeno et lapidibus petunt, sed non raro etiam colaphis et fustibus castigantur. Ignoscite, *Fratres*, quod in hoc coeno et luto tamdiu versor; dico apud viros urbanos et omni morum elegantia politos, quorum oculos et aures talibus ostendendis et commemorandis offendere non licet. Volutentur impuri isti, quocunque in limo et dedecore eis libuerit: nos spurcitie et sordibus illis nunquam inquinabimur; mundus sit sermo, munda oratio, mundus nec felle tinctus calamus noster scriptorius; studiosi semper erimus decoris illius a Paulo commendati: *abit*

a vobis omnis acerbitas et aestus animi, ira, iracundi clamores et calumniae, omnisque generis malignitas; sermones aliis noxios ne proferatis, sed eos, qui aliorum utilitati inserviunt et audientibus grati sunt; sermo vester sit gratia plenus, sale quasi conditus, probe videntes, quomodo cuique respondere debeatis.

Venio nunc ad locum illum spinosum, nondum satis explicatum et forte inexplicabilem, qui complures iam Principes et homines doctos exercuit, quamquam in caussa, quae agitur, minime praetereundum et evitandum; quem vero locum, quia alias iam a me est perlustratus, multisque, quos aliquando in eum deduxeram, parum, ut incommodo aliquo meo sensi, amoenus, atque adeo horridus et paene infestus visus fuerat, suspenso, ut aiunt, pede et festinante attingam. Quodsi in annos proxime elapsos pedem referre, et ad fontem usque et scaturiginem, unde bellum nostrum domesticum, omnisque malorum, quae inde nata sunt, colluvies erupit, totumque fere, quem coetus utriusque glebae adscripti incolunt, agrum inundavit, recurrere volumus; reperiemus profecto, *Fratres*, et celare nullo modo poterimus, tunc primum temporis signum pugnae quasi buccina datum et vexillum propositum, tum primum offensioni locum factum esse, cum quidam nimis, animarum dicam? an aliarum rerum cupidi, et falsa illa et maligna; *extra ecclesiam nullam esse salutem*, et nonnisi sibi iisque, qui eadem via incedunt, aditum ad con-

lum patere, opinione imbuti, in id omni cogitatione, cura et studio incumbere inciperent; ut omnes, quos possent, in hanc unice, uti quidem opinabantur, viam et semitam rectam perducerent, et *proselytos*, quos vocant, quam plurimos et quocunque modo et ratione facerent. Audistis et his ipsis oculis vestris vidistis, quantopere et quanto zelo incensi hi commilitonum et tironum conquisitores diligentissimi hoc in negotio elaborabant; ut omnes quasi nervos in id intendebant; quam prae fracta in contrahendis matrimoniis, ubi alteruter coniux formulae evangelicae addictus erat, benedictionem sacerdotalem negabant, nisi ex se nascendos atque adeo una cum eis semet ipsum ecclesiae verae et salvificae dicaret, et vel Regis ipsius leges in hanc rem latas contemnebant et eludebant; quanta aviditate possessionem prolis, à matre nondum conceptae, a patre nondum susceptae, nobisque dimidia saltem ex parte debitae occupabant; ut venabantur ubique et piscabantur, quot plagas et retia tendebant, quas escas et cupedias apponebant, quibus donis et promissis alliciebant, quibus minis terrebant, quas insidias struebant, quibus artibus et dolis utebantur, quomodo nihil inexpertum, nihil intentatum relinquebant, ut peras suas venatorias et verriculis piscatoria implerent, et aliquos saltem caperent. Nostis haec omnia, *Fratres*, atque his ipsis oculis et auribus vestris percepistis, quamquam ipsi non fecistis, in iisque, qui fecerant, nullo iudiciorum vestrorum genere comprobastis. Quae nos vero cum ferre nec vellemus

vatoris optimi ipsius memorabile et plenum spei et solatii effatum: *hoc vobis confirmo et adsevero, fore aliquando, ut permulti ab ortu solis et occasu, a meridie et septentrione*, ab omnibusque mundi plagis et nationibus *cum Abrahamo, Isaaco et Iacobo in coelo accumbant*, eodemque cum eis honore et felicitate perfruantur. Utique illucescet, hoc perpendite, o callidi vos omnes et importuni animarum captatores et expugnatores, hoc in animo vobiscum etiam atque etiam versate, illucescet aliquando dies ille clarissimus, ubi iudex hominum supremus et aequissimus ex unoquoque eorum, qui thronum eius splendidum circumstant, minime quaeret, Iudaeus fuerit, an pagamus, Catholicus, an Evangelicus, in his terris haereticoi inviso nomine notatus, an orthodoxus, et agmen ecclesiae salvificantis secutus; sed id potissimum spectabit, num orthodoxe et sancte vixerit, feceritque, quibus vere salvari posset; *) num *esurienti cibum, sitienti potum, peregrinanti hospitium, nudo vestem, aegroto fomenta dolorum praebuerit;* num quaevis humanitatis et virtutis officia explaverit, *verumque patri suo coelesti obsequium praestiterit.* Tunc vero et vobis, animarum aucupibus, illud solo fiet clarius, non propterea coronas vobis et praemia aeterna

*) Me propter ea, quae dixi, non in Indifferentistarum, Syncretistarum aut Latitudinariorum, quos vocant, censum esse referendum, non opus est monere. Non dixi, nihil omnino interesse, quid credas, sed non satis esse, requiri etiam, idque potissimum, ut recte agas.

ut tribuamus, quod proselytos fecistis, quod quam plurimos miseros parentibusque quasi orbos in gremio matris, quo nomine blando vestra sola ecclesia a vobis salutatur, deposuistis; sed tum demum *summum illum Pastorem certo nunquam marcescente* vos ornaturum esse, si gregi vestro et proprio bono prospexistis, ovesque curae vestrae commeditas in pascua vere salubria et rectam ad salutiferam aeternam viam deduxistis.

Reliquum est, *Fratres amantissimi*, ut paci, quam redeunti ad nos volumus, non verbis solum et formulis pacificis, sed re ipsa et factis aditum patefaciamus; ut, quod multo maioris est momenti, et in quo cardo negotii vertitur, *omnes, quos possumus, quolibet amoris et mutui officii genere nobis devinciamus*. Parum est, quod multi satis habent, et homini vere christiano, *in quo idem sensus inest, qualis etiam fuit in Iesu Christo*, omnium virtutum, amoris inprimis et benevolentiae, exemplo praestantissimo et omnibus numeris absolutissimo, nullo modo satisfacit, si diversarum partium religionarum sectatores sibi invicem non invident, si odio se non prosequuntur, si non nocent sibi et molestia se non afficiunt, si (liceat verbo latino uti sensu germanico,) se mutuo tolerant, et utcunque ferunt. Valeat, valeat barbara illa et maligna *tolerantiae* vox; cedat nomini liberaliori, magisque humano et christiano; *amor*, amor et *fraterna caritas*, et indefessum ac verum aliis inserviendi studium omnia pectora occupet et obsideat; reluceat in nobis pulcerrima illa Hierosolymitanae veteris

ecclesiae imago ab Evangelista adumbrata: *unum omnium erat cor, una anima, fidelesque omnes omnia habebant communia, et prout cuique opus erat, ei impertiebant.* Operam demus, *Fratres dilectissimi*, et, quantum viribus possumus, enitamur, ut haec nostrae quoque ecclesiae species sit et forma, ut praeclara illa, quae de priscis Christianis praedicantur, aliqua saltem ex parte et in nos cadant. Et profecto possumus, *Fratres*, possumus multa, si volumus. Circumspice modo, quisquis es et quocunque loco es, catholica ampla aut evangelica angusta castra sequens, circumspice diligenter, ad eosque, qui propius tibi adsunt, oculos et animum adverte; capta et amplectere quamcunque eis benefaciendi occasionem tibi oblatam; meditare et sedulo tecum reputa, quomodo et quanam in re commodare eis et gratificari possis. Tu, qui oleo sancto unctus es, ne profanum habeas eum, qui unctura illa caret; collegam et fratrem puta; consuetudinem cum eo et consortium ne defuge; sermonem cum eo confer non de iis, quae cuique vestrum in religione et munere sunt propria, sed de aliis multis iisque gravioribus, quae vobis sunt communia. Tu, qui Christum, nulla effigie proposita, colis, et coram eo, *quem Angeli Dei adorant*, genua flectere renuis, cave eum despicias, qui simulacrum Augusti illius et Optimi, in crucem pro nobis sublati, intuetur, et adorabundus humi supplex procumbit; aliena quoque sacra ne ride. Tibi, qui cum eo contrahis et negotium aliquod habes, quicum in rebus divinis nihil tibi est commercii, quique

te vel coelo et salutis aeternae spe defraudat, aeque sit religio, hunc in rebus terrestribus fallere, quam eum, qui sacrorum etiam societate et arctissimo religionis vinculo tibi quam maxime est iunctus. Tu, dives et opulente, si fores tuas pulsat afflictus aliquis et egenus, noli scrutari, utrum Catholicus sit, an Lutheranus aliquis aut Zwingdianus; erga omnes promiscue manus tua beneflca se aperiat; liberalissime eroga in eum, qui maxime indiget, quique beneficio in eum collato recte utitur; cogita, omnes illos esse fratres Iesu Christi, communis nostri Redemtoris et Domini, et *quicquid vel uni e minimis suorum tribueris, perinde eum habere, ac si ipsi tribuisses;* fac memineris, quod Paullus Apostolus humaniter praecipit: *erga omnes*, nullo excepto, *beneficos nos esse debere, quamquam praecipue erga eos, qui eandem nobiscum religionem profitentur.* Longum est, enumerare omnia, quibus alienorum etiam sacrorum sociis gratum facere, eosque sine ullo tuorum detrimento et incommodo obstringere tibi possis. Quod si tu feceris et omnes eiusdem tecum fidei confessores fecerint; ad has si et alias opportunitates, quae nullo nobis tempore et loco deerunt, animum attendere, eisque libenter, perpetuo et recte abuti voluerimus: tum, ut idem ait Apostolus, *prunis ardentibus caput aliorum obruemus*, alienatos a nobis nobis reconciliabimus, inimicos nostros reddemus nobis amicos; tum paci, quam revocare cupimus, aditus ad nos tutissimus et facillimus patebit; tum, ut redeat et sedem sempiternam apud nos figat, non

opus erit dogmatum, rituum, vestium, templorum et sacrorum assimilatione et conformitate; tum existet, non fidei et formulae, quae iam nulla esse potest, sed, quod longe est maximum et arctissime sociat, animorum, sensuum, voluntatum et studiorum, quam Paulus etiam vult et commendat, unitas; tum denique utrique nostrae ecclesiae in angustum terrae spatium conclusae continget, quod Angelorum quondam cohors, Christo recens nato, toti, qua patet, terrarum orbi cecinit et congratulata est: *laudetur in caelo Deus, iam pax in terra, iam hominibus favor divinus!*

Haec fere habui hoc tempore, *Collegae carissimi et honoratissimi*, quae communicarem vobiscum et diiudicanda vobis proponerem. Iam, si placet, in consilium eamus, deliberemus de alma et exoptatissima pace nostra in ecclesiam scissam reducenda, et, si quid visum fuerit, Deo annuente, decernamus.

Tu vero (ad *Te* enim nos convertimus,) Tu, *Pater omnipotens, a quo omnis generis et mere bona in nos descendunt*, qui omnia, quaecunque sunt et fiunt, sapientissime regis et gubernas, et *qui ea quoque potes efficere, quae per alias vires nullas fieri possunt, quaeque vel omnibus votis et cogitatis nostris sunt superiora*; et Tu, *Iesu Christe, Patris Filii*, redemtor generis humani nunquam in aeternum satis a nobis amande et venerande, sator et stator unice *ecclesiae morte tua tibi acquisitae, cui et nos minimos praefe-*

cisti, ut gregis nobis commissi curam diligentem agamus; et Tu, *Spiritus sancte, ab utroque procedens,* qui non Apostolis solum, sed *omnibus serio petentibus* a Patre promissus et in nobis, si te admittimus, habitare et operari, et *imbecillitatem nostram vis sublevare:* ades, *Deus tor O. M.* oramus supplices, ades nobis in hoc consilio et negotio nostro, faveque coeptis nostris, magnis quidem et arduis, sed Tibi, ut speramus, non ingratis, ecclesiae a filio tuo fundatae utilibus et salutiferis. Exaudi preces, quas ab intimo pectore ad te fundimus; remove omnia, quae impediunt et obstant; expelle ex animis nostris, quae tibi displicent et nobis nocent, iras et odia et suspicionem et cogitationes vanas; instilla nobis sensus probos et pios; sic rege nos, ut a via ne aberremus, ut nihil cogitemus, nihil velimus, nihil constituamus et decernamus, nisi quod ad gloriam tuam spectet, et coetui, cui praesumus, vere conducat. — *Non nostrum* quidem *est, scire tempora, quae tui voluisti esse arbitrii;* sed accelera, *Pater omnipotens,* accelera, quaesumus, si sapientia et voluntas tua fert, nec tarda diutius diem illum, quem promissione tui ipsius filii freti exspectamus, laetissimum et exoptatissimum, ubi *unum erit ovile, unus pastor,* ubi *regnum tuum ad omnes pervenerit,* ubi omnes *tui cultores* uno ore, et *integra mente et sincero animo te colent, solum verum Deum, et quem misisti, Iesum Christum;* et quando aetatis nostrae spatium prope iam decursum

ad eum non pertinget, aeternam fessis nobis requiem, et ad civitatem tuam coelestem, nullo unquam tumultu, nullis dissidiis et clamoribus turbandam, aditum, *Pater*, benignissime per Jesum Christum nobis concede. *Favor Domini nostri Iesu Christi, et Dei amor, et participatio Spiritus Sancti nobis omnibus adsit; Amen.*

FORMULA PACIS.

Temperare mihi non potui, quin formulam pacificatoriam in colloquio illo Marburgensi a. 1529 a Reformatoribus utriusque partis evangelicae, antequam discederent, pactam et subscriptam, in qua etiam nunc in caussa nostra in praesens quidem acquiescere licet, ex Opp. Lutheri, tom. XVII, pag. 2357 huc transscriberem. Sic habent verba:

„*Etsi hoc quidem tempore res nostrae non convenerunt, hoc tamen constitutum esto atque sancitum, ut altera pars alteri, quantum maxime uniuscuiusque conscientia patitur, amorem christianum praestet; simulque Deus omnipotens ab utraque parte enixe implorandus est, ut nos per Spiritum suum in vera sententia velit confirmare.*“

Impressit Officina Jo. Sommeri.

Impressit Officina Jo. Sommeri.